

I. — Doceant fideles res ab Ecclesia benedictas debere magni aestimari, et cum reverentia adhiberi, sed tantum eo modo et fine, quo vult Ecclesia. Caveant rebus sanctificatis abuti ad superstitiosa, ridicula et vana.

II. — Ne cadat in Christianos maledictio Christi: « populus hic labiis me honorat, sed cor eorum longe est a me. » Curent igitur sancta sancte tractare et non externa tantum signa reverentiae ostendere, sed interna simul contritione et detestatione omnis peccati, se dignos reddere gratia. Et cum tali mentis et cordis dispositione assumant aquam benedictam, edant panem, aut alios cibos sanctificatos, recitent *Pater* et *Ave* aliasque orationes, dent eleemosynas, accipiant benedictionem Episcopi et a peccatis levioribus et quotidianis eos facilius absolvat divina misericordia, et a maioribus praeservabit, et gratiam illis addet et merita.

III. — Utile est homini christiano secum deferre in spiritu fidei obiecta benedicta, cuiusmodi sunt: Agnus Dei, rosaria, scapularia, numismata B. Mariae Virginis et aliorum Sanctorum imagine decorata, et praesertim imagines Crucifixi et Cruces. Innumera enim in historia per omnia tempora occurrunt exempla protectionis divinae et gratiae concessae illis, qui cum spiritu fidei et debita reverentia hisce muniri solent. Deus enim Dominus beneficia impartit, quando vult et quomodo vult. Et sicut in antiqua lege usus est virga Moysis, ut e rupe aquam eliceret populo, et serpente aeneo ut sanaret morsus viperarum, sic ipse luto ungit oculos caeci nati, ut visum reddat ei, sed credenti. Et ita credentibus proficiunt benedictiones Ecclesiae et Sacramentalia.

IV. — Sed prae omnibus commendetur genti chri-

stianae, frequens et continuus usus signi crucis, quo quisque se ipsum signat iuxta antiquissimum morem fidelium inde ab Ecclesiae initiis, qui uti Patres referunt, omnes actiones inchoare solebant signo crucis, surgentes, edentes, laborantes, domum ingredienti aut egredientes. E cruce salus, per crucem victoria, crux efficax contra inimicum protectio: crucis enim signum factum in spiritu fidei est confessio Sanctissimae Trinitatis, Incarnationis et Mortis Christi, et nostrae per Crucem salutis, instrumentum infinitae Dei misericordiae et monumentum.

V. — Ceterae benedictiones sunt vel Pontificis, qui benedictionem Agnus Dei sibi reservavit, aliae plures Episcoporum tantum; aliae quae a sacerdote quolibet fieri possunt: observatis tamen caerimoniis et ceteris in Rituali praescriptis.

#### SECTIO IV.

##### DE CULTU DIVINO

Patres huius Concilii Antequerensis, prae oculis habentes Concilium Vallisoletanum, atque serio illud perpendentes, adeo sapienter elucubratum invenimus sicuti in ceteris ita etiam in pertractanda et exponenda doctrina catholica *de cultu divino*, et in praescribendis quae ad illum ampliandum quam maxime conducunt, necnon in iudicandis optimis consecrariis eiusdem; ut illico et libentissimo animo decreverimus, tractatum eius de cultu divino quoad omnes partes

amplecti nostrumque facere, iis tantum introductis modificationibus, quas, attentis necessitatibus et adiunctis huius Provinciae, introducendas in Domino credimus.

#### TITULUS I.

##### DE CULTUS EXTERNI NECESSITATE ET PRAESTANTIA.

Ens perfectissimum est Deus, qui honorum nostrorum non indiget (Ps. xv, 2); immo de bonis suis dat omnibus affluenter; nam ex ipso et per ipsum et in ipso sunt omnia (Rom. xi, 36). Nulla igitur infinitae illi gloriae, qua circumdatus est in propria essentia, obtinere potest accessio ex creaturarum laudibus. Honor tamen, et laus illi debetur, ideoque vult, et iustissime, ut homines, quos ad imaginem et similitudinem suam creavit, summum Creatori benignissimo honorem deferant, eum adorationis, grati animi et amoris debito colentes obsequio. Hoc ipsamet humana ratio docet, hoc sacrae litterae innumeris locis inculcant.

I. — Cum duplici substantia, anima nempe et corpore a Deo homo ditatus existat, et cum pro utraque aeterna beatitudo a coelorum Domino parata sit, anima et corpore hominem Deum colere oportet. Unde exurgit duplex in Ecclesia catholica receptus et praeceptus cultus, internus scilicet et externus. Latet in anima primus: per externos actus exhibetur secundus. Potest esse et verus, et sincerus et Deo gratus qui in pectoris ambitu continetur, ut integrum tamen et completum sit obsequium ab homine Summo rerum omnium Domino praestandum, per demonstrationes illas, quae externum catholicum cultum constituunt, illum adorari, etiam necesse est.

II. — Extat pro cultu nostro externo et alia ratio, ex Ecclesiae constitutione desumpta, per quam consentanea et hominis naturae, et eius pro hac vita destinationi. Est enim Ecclesia Christi societas, et quidem perfectissima, unde socialem vitam acturos eius filios clarissime elucet. Cum vero haec socialis vita locum habere nequeat absque communibus actibus et publicis manifestationibus, cumque praeterea singuli christiani stimulos praebere debeant confratribus ad munia religionis obeunda, cumque postremo catholicae religioni deesse non possit quod habuerunt religio naturalis et Mosaica, quae actus externi cultus praecipiebant; idcirco Ecclesia Christi, divino Spiritu edocta, a suis primordiis huiusmodi cultum promovit et exhibuit, etiam in catacumbis, cum extra non posset, congregans filios suos, qui nec mortis quidem periculo deterriti, a sacris conventibus frequentandis abstinere volebant.

III. — Non desunt tamen, misera hac nostra aetate, qui malignis imbuti doctrinis, et opus Dei pervertere cupientes, ut societatem faciant atheam, non verentur temere docere, religionem ad summum individua respicere, ideoque amovendam esse a publica et sociali vivendi ratione, eo quod hominum societas non nisi de huius vitae bonis sollicita esse debeat, ac si prima omnium obligatio non esset, sic transire per bona temporalia ut non amittamus aeterna, vel cultus religiosus, a concordi hominum societate Deo exhibitus, non princeps esset conditio felicitatem ipsam temporalem rite auspiciandi. Horum recentiorum naturalistarum deliramenta, qui uti superstitiosum et puerilem externum et publicum cultum impetunt et templo atque altari bellum indicere non exhorrescunt, cum Ecclesia catholica damnamus atque reiicimus. Ut autem ab eius-

modi erroribus grex nobis commissus et nunc, et in posterum immunis servetur, frequenter et accurate populis inculcanda est utilitas et necessitas religiosi externi cultus, necnon observantia eorum omnium quae illum comitantur, eiusque splendorem constituunt.

IV. — Cultus etenim quem Ecclesia Deo exhibet, augustissimus sane est, non solum si finis ipsius spectetur, sed etiam si modus, ritus, caerimoniae considerentur; nec levia dici possunt et vilipendenda, quae ex apostolica descendunt traditione, quaeque cultus divini, et in primis sacrificii maiestatem commendant. Ea omnia plurimum valent ad fidem confirmandam, ad pietatis sensus alendos, et praeterea alter alterum suo exemplo excitat ad aemulanda charismata meliora, et ad glorificandum Patrem qui in coelis est (Matth. x, 11), iuxta illud archangeli Raphaelis ad Tobiam patrem et filium effatum. « Benedicite Deum coeli, et coram omnibus viventibus confitemini illi, quia fecit vobiscum misericordiam suam » (Tob. xii, 6).

V. — Nec verbo tantum docere et hortari fidelem populum satis habeant parochi ceterique omnes divini cultus ministri, sed fide pleni, caritate ferventes, eximia quae exercenda acceperunt ministeria, omni exteriori obsequio ac reverentiae attestazione pertractent, divinaque officia ita peragant, ut eorum sanctitas et Ecclesiae leges exigunt. Pro viribus adlaborent ut catholici cultus maiestas ac splendor conservetur et augeatur, serio considerantes universam Ecclesiae liturgiam altissimo fini inservire: ad obtestandam nempe nostram Deo subiectionem, gratitudinem, amorem, ad fidem publice profitendam, ad mentem per visibilia signa ad invisibilium rerum meditationem erigendam, devotionisque igne inflammandam, ad arctius Ecclesiae

membra inter se iungenda, unitatemque catholicam ob omnium oculos ponendam, ad manifestandam denique religionem a Christo Domino institutam, quae sicut sola fidei veritate consistit, ita etiam sola veri cultus decore ac maiestate praefulget.

VI. — Summa diligentia curantes praesertim parochi populum in recte sancteque persolvendo cultu publico, verbo et exemplo docere, illaque tantum ab Ecclesia probata admittere, diu noctuque advigilent, utpote rationem de abusibus Deo reddituri, ne quid introducatur minus rectum et religioni consentaneum. Quidquid superstitiosum sapiet, ut veri Christi ministri, vel domibus, vel templis eliminent; magna tamen prudentia se gerant, si de inveteratis abusibus agatur, et Episcopum ante omnia certiolem faciant, et de recta agendi ratione consulant; ne dum zizania eradicare velint, eradicent etiam et triticum (Matth. xiii, 29), atque dissensiones et scandala in populis oriantur.

## TITULUS II.

### DE SACROSANCTO MISSAE SACRIFICIO.

Cultus divini praecipuus actus est sacrificium, per quod Deus agnoscitur rerum omnium Dominus, immo vitae et mortis auctor, et illi supremi gradus adoratio exhibetur. Sanctissimae igitur religioni nostrae hostia et sacrificium deesse non poterat, et quidem sanctissimum et divinissimum, quod nec ab hominibus inveniri, nec in prioribus foederis figuris, nisi figurative offerri licuit. Per Malachiam prophetam illud praenuntiari voluit Deus hisce verbis: « ab ortu solis usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus,

et in omni loco sacrificatur et offertur nomini meo oblatio munda, quia magnum est nomen meum in gentibus, ait Dominus Omnipotens » (Malch. I, 11).

Hoc sacrificium tanto excellentius ac perfectius hostiis legalibus, quanto excellentior et Deo acceptabilior victima, quae in eo immolatur, instituit Christus, sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech (Hebr. VII, 27), cum in supremæ nocte coenae, postquam panem et vinum in corpus suum et sanguinem transmutavit, Apostolis, ut idem in sui memoriam facerent mandavit (I Cor. XI, 24). In divino hoc sacrificio, quod in Missa peragitur, ait Tridentina Synodus, idem ille Christus continetur, et incruente immolatur, qui in ara crucis semel se ipsum cruenta obtulit.....

« Una eademque est hostia, idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui se ipsum tunc in cruce obtulit, sola offerendi ratione diversa, » cum in cruce fuerit cruenta, incruenta vero sit in altari (Conc. Trid. sess. XXII, *De missae sacrif. cap. 1*). Nihil inde crucis derogatur sacrificio, cuius meritum per hoc applicatur, et quemadmodum sacrificium illud cruentum, ita hoc incruentum latreuticum, et eucharisticum, propitiatorium et expiatorium est sacrificium, atque pro vivis et defunctis soli quidem Deo, in honorem tamen sanctorum, pro certis etiam personis et ordinibus qui specialem fructum percipiant, offerri potest. (Id. id. sess. XXIV, Pius VI Const. *Auctorem fidei*).

Religiosi igitur cultus nostri centrum quasi et anima est divini sacrificii oblatio, « quae ineffabili prorsus ubertate redundans, praesentem aequae ac futuram vitam complectitur. Ea enim oblatione placatus Deus, gratiam, donumque poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia, dimittit, ac licet peccatis nostris

graviter offensus, ab ira ad misericordiam, a iustae animadversionis severitate ad clementiam traducitur: ea temporalium poenarum reatus et obligatio dissolvitur: ea defunctorum in Christo animae nondum ad poenam purgatae sublevantur: ea obtinentur quoque temporalia bona, si tamen potioribus non officiant; et sanctis, et imprimis Immaculatae Sanctissimaeque Dei Genitricis Mariae eximius quidam honor cultusque conciliatur..... Idcirco Sancta Mater Ecclesia, tanto divini sui Sponsi ditata thesauro, numquam destitit omnem curam, operam, diligentiamque in id conferre, ut tam tremendum mysterium a sacerdotibus, quanta maxima fieri posset, interiore cordis munditie et puritate peragatur, debitoque sacrarum caerimoniarum ac rituum apparatu cultuque celebraretur..... ac pari sollicitudine studioque ipsa pientissima Mater numquam cessavit suos fideles filios commonere, hortari et inflammare, ut ea, qua oportet, pietate, veneratione ac devotione ad hoc divinum sacrificium frequentissime convenirent » (Pius IX Encycl. *Amantissimi* 1 Maii 1852. Conc. Trid. sess. XXII, Dec. *De observ. et evitand. in Missae sacrif.*).

Hisce Concilii Tridentini, ac Summorum Pontificum luculentissimis verbis fidem nostram testantes, atque officio nostro inhaerentes, nonnulla in mentem revocamus, tum sacerdotibus ad rite sancteque celebrandam Missam, tum fidelibus ad pie et salubriter illi assistendum eiusque copiosissimum fructum percipiendum.

I. — Et in primis, sicut ven. mem. Pius IX Episcopus omnes adhortatus est ne unquam gregem suum pascere intermittant, ita nos parochos praesertim, aliosque divini verbi praecones, et eos quibus demandatum est munus erudiendi christianum populum, iisdem verbis « monemus et hortamur, ut fidelibus populis tam sancti,

tamque admirabilis sacrificii necessitatem, praestantiam, magnitudinem, finem, fructus studiosissime et accuratissime exponant, explicant, ac simul fideles ipsos excitent, inflamment, quo eidem sacrificio ea, qua par est, fide, religione ac pietate frequentissime intersint, ut divinam misericordiam, et omne, quo indigent, beneficiorum genus sibi comparare queant » (Encycl. *Aman-tissimi*). Nec diebus tantum Dominicis et festis gravissimo audiendae missae tenentur praecepto, sed et frequentius, immo quotidie, si absque detrimento poterint, usurpandum est hoc beneficium, ut de fontibus Salvatoris hauriant cum spirituali gaudio aquam salientem in vitam aeternam (Isai XII, 3. — Ioann. IV, 14). Nihil enim agere certe possunt, quo magis honorificetur Deus; nec ulla est gratia quae non obtineri, nullum debitum quod non solvi, nec infirmitas quae sanari non possit hoc vivifico et sanctissimo Christi sacrificio, nullumque opus bonum quo vivi et mortui iuvari queant efficacius divina illa hostia, qua Deo Patri in cruce reconciliati sumus, et de qua coelestis vox in monte audita est: « hic est filius meus dilectus in quo mihi bene complacui » (Math. XVII, 5).

II. — Numeratos omnes, et alios adhuc uberrimos percipient fructus fideles illi, qui mundo corde, et ea, qua par est, religione ac pietate incruento Missae sacrificio intersint. Sed si tanta reverentia a fidelibus exigitur « quo solari radio purior ac splendidior non debet esse ea manus quae hanc carnem dividit, os quod igne spirituali repletur, lingua quae tremendo nimis sanguine rubescit? » (S. Ioann. Chrysost. Hom. 60 ad popul. Antiochen.) Ministris suis qui pro Christo legatione funguntur (2. Cor. v, 20), dicit Dominus Deus: « Dii estis, et filii excelsi omnes » (Ps. LXXXI, 6); « sancti

eritis quia ego sanctus sum » (Lev. XI, 45); « Accedat ergo ad altaris tribunal sacerdos ut Christus, assistat ut angelus, ministret ut sanctus » (S. Laur. Iust. Serm. *De Eucharistia*); antequam celebret, se colligat et oret; antequam ad altare accedat, Missam perlegat; sacris vestibus indutus, cum nemine colloquatur, nec loquentibus det aures, et cum ad altare erit eundem, graviter, et modeste procedat (S. Car. Borr. Conc. Mediol. 1).

III. — Memores verborum, quae in ipso altari pronuntiant, « ego autem in innocentia mea ingressus sum » (Ps. XXV, 12), serio cogitent Dei sacerdotes, quantam cordis munditiam et puritatem induant necesse sit (Conc. Trid. sess. XXII, decret. De observ. et evitand. in Missae sacrif.). Quotidianas ergo cordis sordes, nam in multis offendimus omnes (Iacob. III, 2), octavo saltem quoque die poenitentiae sacramento abluere studeant, neque, quantumvis contriti sibi videantur, sine sacramentali absolutione ad altare accedere praesumant, si (quod ab omnibus Deus prorsus avertat) alicuius mortiferae culpae conscientia opprimantur, ne rei sint corporis et sanguinis Domini, et iudicium sibi manducant et bibant, non diiudicantes Corpus Domini (I. Cor. XI, 27, 29). Quod si urgente necessitate ad celebrandum compellantur, et omnino copia confessarii deficiat, summa diligentia perfectam contritionem in corde omni conatu excitare procurent, et quam primum ad poenitentiae sacramentum accedant (Conc. Trid. sess. XIII, cap. 7).

IV. — Habet sacrificium Missae multos, eosque maxime insignes et solemnes ritus, quorum nullus supervacaneus et inanis existimandus est, sed omnes eo spectant, ut et tanti sacrificii maiestas magis eluceat, et

ad rerum divinarum, quae in eo sacrificio occultae sunt, contemplationem fideles excitentur. (Catech. Roman. part. II *De Euch.* cap. 4, n. 79). Ritus illos omnes et caerimonias ab Ecclesia institutas et approbatas servant adamussim, et pie obeant sacerdotes (Conc. Trid. sess. XII, cap. 5), et quae alta, quae moderata, quae submissa voce pronuntiari debent, ita pronuntient, ut distincte, integre et devotissime omnia peragantur, et ne minimum quidem apicem nec addere, nec omittere, nec quomodolibet immutare praesumant. Ne quid vero per incuriam vel ignorantiam admittatur sacrae liturgiae praescriptionibus vel minimum oppositum seu alienum, meminerint omnes se obligatione teneri frequenter legendi et considerandi quae, de sacrificii celebrandi ratione, Missalis Romani rubrica docet ac praecipit.

V. — In Missis quoque solemniori ritu celebrandis, caerimoniae omnes eo strictius servandae sunt, quo magis id requiritur, ut solemnitatis augmentum fidelibus quoque sit in devotionis stimulum. Quae in iis canenda sunt, integre semper et graviter sacerdos canat, et similiter chorus quae ab ipso cantanda sunt, quin pars aliqua brevitatis causa inabsoluta relinquatur, et tamquam abusus abrogetur quaecumque contraria consuetudo (S. R. Congr. 11 Sept. 1847). Nihil quoque vernacula lingua intra Missam canere licet, et contraria praxis, si alicubi viget, utpote corruptela omnino eliminari debet ab Episcopis (S. R. C. pluries, praecip. in Valentina 22 Mart. 1862).

VI. — Quum nimia festinatio in celebratione Missae religiosas aures oculosque offendat, et nimia prolixitas fastidium plusquam devotionem generet, omnes admonemus sacerdotes, ut utrumque vitantes extremum, nec minus quam tertiam horae partem, nec plus quam di-

midiam, Missae privatae impendant. Qui citius absolverit, sciat se a celebratione suspendendum (Bened. XIV, instit. xxxv, § 6, n. 32). Difficillimum enim est, ut breviori tempore absolvatur Missa, etiam defunctorum, quin celebrans in verbis et actionibus delinquat; nec fieri potest, ut in verbis enuntiandis, et ritibus caerimoniisque exequendis eam praeseferat gravitatem sacrificii dignitati congruentem, propriae sanctificationi, et fidelium aedificationi necessariam.

VII. — Postquam vero sacerdos huius sanctissimi sacrificii celebrationem absolverit, in silentio recedat et congruo tempore in gratiarum actione devote permaneat. Qui hoc debitum summo benefactori Deo obiter, vel ne obiter quidem persolvere assueverit, maledictionem se pro benedictione habiturum merito timeat. Parochis et ecclesiarum rectoribus stricte praecipimus, eorum conscientiam onerantes, ut si quos noverint sacerdotes sine debita praeparatione et gratiarum actione, festinanter aut indecore Missam celebrare, nec post unam alteramve correptionem, fraterna caritate in Domino factam, resipiscere; omni posthabito humano respectu, Episcopo denuntient, qui contumaces a celebratione suspendat, et pro rei gravitate puniat, ne in eorum peccatis connivere videatur (Litter. Encyclica iussu Innoc. XI, 1678).

VIII. — Qui sacerdoti in Missae celebratione inserviunt, et populi nomine respondent, eam corporis modestiam, habitus decentiam, et sinceram animi pietatem exhibeant, quibus sanctum hoc officium peragere decet; ideoque ii seligantur a parochis qui morum honestate commendabiles sint, eosque studiose edoceant tum verba ab ipsis integre ac devote dicenda, tum sacras caerimonias peragendas, tum sanctitatem actionis ad quam

assumuntur, et in qua angelos socios habent. Meminerint parochi, mulieres altari inservire vetitum esse .....

IX. — Ex sacrorum canonum praescripto sacrosantum Missae sacrificium nullibi celebrare licet, quam in ecclesiis, consecratione vel saltem benedictione, Deo dicatis, ac in publicis oratoriis, quae prius visitaverit et approbaverit episcopalis auctoritas (Conc. Trid. sess. xxiii, decr. *De observ. et vitand. in Missae sacrific.*). In privatis vero oratoriis, non nisi ex privilegio Apostolico (Ben. XIV const. *Magno* 2 Jun. 1751). Altare consecratum esse debet, vel saltem aram consecratam habere, in eoque crux eminens, et talis ut non a celebrante tantum, sed ab adstante populo conspici possit (S. R. C. 27 Sept. 1822). Si vero in altari, et principali loco existat tabula, quae vel caelato, vel picto opere, imaginem Salvatoris cruci affixi exhibeat, satis erit. Quod si SS<sup>ma</sup> Eucharistia publice adoranda proponatur, cum ibidem sacrum peragitur, cuiuscumque ecclesiae consuetudo tenenda est in conservanda vel tollenda cruce altaris; vel parva tantum exhibenda (Ben. XIV, constit. *Accepimus* 16 April. 1746).

X. — Tempus autem celebrationis, excepta nocte Nativitatis Domini nostri Iesu Christi, ab aurora ad meridiem computetur; tertia tamen horae parte Missam anticipare, seu protrahere licet (Id. Instit. XIII, n. 4 xxxiv, § 3). Nemini hos limites excedere absque culpa permittitur, nisi ex Apostolico indulto, quo tamen parce erit utendum (Paul. III, Bulla 22, t. 2, § 25), vel ex gravi causa, exempli gratia, solemnitatis vel dandi viaticum.

XI. — Maxima diligentia adhibenda est, ut purissima et apta sit utraque materia in Christi Corpus et Sanguinem convertenda, qualis ex divina institutione

requiritur, et per sacros canones praescribitur. Per se ipsos, non vero per laicos inservientes curare hoc debent ecclesiarum rectores; quod eo magis commendamus, quo facilius nostris hisce temporibus adulterari solet farina triticea, et vinum ex substantiis heterogeneis. Nec ad solam materiae sinceritatem, sed ad lintamina altaris, et ad sacra indumenta curas extendant, ut omnia decentia et munda sint, et saepe mutantur, praesertim purificatoria et corporalia, in quibus Corpus Domini nostri Iesu Christi collocatur. Nihil enim indignius, quam apparatu sordido et indecoro Regem gloriae suscipere, qui est candor lucis aeternae (S. Bonavent. opusc. 26).

XII. — Opportunum iudicamus in memoriam revocare, ut fideliter observentur hae Sacrae Rituum Congregationis praescriptiones. In Missa privata illicitum est omnibus Episcopo inferioribus quatuor candelas accensas habere (S. R. C. pluries), quod tamen intelligendum est ratione personae; ratione enim solemnitatis, aut Missae quae habetur pro parochiali, conventuali, etc., licet sine cantu, tolerari possunt plus quam duo candelae (S. R. Congr. pluries 12 Sept. 1857), quae ex cera esse debent, non vero ex alia materia, ut *stearina* absolute prohibita (Id. 16 Sept. 1843). Candelabra super altari collocari iubentur, numquam vero hinc et hinc parieti, etsi altare fere tangenti, infixa (Id. 16 Sept. 1865). Illicitum est etiam omnibus quibuscumque Episcopali dignitate non insignitis, duos ministros habere in Missa privata, vel unum cum superpelliceo assistentem ad Missale (Id. 19 Jul. 1659, 13 Maii 1819 et pluries). Duo tamen ministri tolerari possunt non ratione personae, sed solemnitatis (Id. 12 Sept. 1857). Celebrantes Episcopo inferiores de-